



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt XI. Verbum hamatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

mus: Persecutiones propter iustitiam minimè timeamus; ut cœlestis regni efficiamur hæredes: Opprobria, cruciatus, mortem denique si eueniat propter Dei veritatem, gaudentes amplectamur & læti, ut merces nobis cum Prophetis & Apostolis copiosa præstetur in cœlo. Ut autem Verbi finis, cum præfatione concordet: si, est gaudium mercatoribus propter lucra præsentia, & caduca, magis gaudeamus omnes pariter & lætemur, quia tales Domini hodie inuenimus margaritas, quibus nulla possint bona sæculi comparari.]

374. Ad eadem mentem pulchrè S. Chrysostomus hom. 5. de pœnit. [Nundinæ nobis profectò mirabiles sunt, (inqui) harum nulla est alia professio, & negotiatori nulla alia intentio, quàm paruo quidem emere, magno vendere: nam ea cuiusque negotiantis industria. Num negotiationis alia ratio est, quàm quod minori empta, maiori pretio vendat, atque duplicatam sibi summam inueniat? Tales igitur nobis Deus nundinas proposuit: modico iustitias eme, quo multo vendas in cœlo futuro. Hic modico iustitia emitur, pro panis fragmento, vili pro vestimento, pro calice aquæ frigidæ. Amen dico vobis (inquit) spiritualis mercaturæ Doctor non perdet mercedem suam. Calix frigidæ aquæ, dignus est mercede: data vestimenta, datæ pecuniæ per beneficium, putas non sortientur mercedem magis, & multò maiorem; Quare ergo calicem aquæ frigidæ in medio duxit? sine impensa elemosynam dixit: nam si frigida aqua, neque ligna consumis: vbi verò sine impensa datum tanto beneficio rependitur, vbi vestimentorum sumptuositas, pecuniarum affluentia, aliorumque bonorum collatio, à iusto iudice quantà mercede remunerabitur? Quamdiu itaque virtutes assumptæ, quæ paruo veniuntur, ab eo qui magna donata accipimus, rapimus, *Sitientes enim (inquit,) venite ad aquas, Et qui non habetis argentum, venite & emite. Quamdiu nundinæ ipsæ perdurant, demus elemosynam, salutem emamus.*] Addit egregiè, elemosynam facere, esse fœnerari Domino. Idem optimè ibidem hom. 9. sub medium. Quadragesimam, ut mercatus spiritualis & nundinarum nostrarum tempus, exhibet egregiè Theodor. Studita serm. 4. catech.

Sed illa huius loci maximè propria est negotiatio, quam S. Ephrem tract. de margarita pretiosa *sub finem*, imiri à nobis cum Deo per Christum docet, exhibens Deum societas contractum nobiscum inito, commercia nobiscum exercentem. Sic habet præter cetera. [Etiam tibi fœneratorem ostendam Deum, ô Heretice: & quomodo in Virgine excoluerit margaritam, & commonstrabo tibi præterea, quo pacto agricola Deitatem præbuerit naturæ. Voloque ostendere mercatorem; quomodo locum mercaturæ Deum nactus, dives vno extiterit obolo: ita ut & debitum persolveret, & ex residuis agrum cœmeret, ipsumque cœlum ac Dei regnum in hereditatem stabilem sibi tribui promeruerit. Accepit natura mendica Diuinitatem, & decertavit aduersus tyrannum. Communicauit cum Patre, & tabificum peccatum emptione sua erasit atque expunxit, anathematizans illud per gratiam. Illud enim affectibus ac passionibus hominem titillabat: hæc autem Dei munere, & ope, illud exterminabat. Illud voluptatis illecebris pelliciebat: hæc autem castitate ac pudicitia similiter extrudebat.] De stupiditate mortalium qui lucello adeo inhiantes, tam lucrosam cum Deo commercium non usurpant, insigniter Guerrens serm. 2. de resurr. Dom. Mihi iam nimis videor in hoc negotio.

CAPVT XI.

Verbum hamatum.

375. **M**irabile omnino Diuinæ sapientiæ in Christi compositione artificium, hic titulus conti-

net. Ex eo enim ritè exposito, deprehendetur quanta solertia, quamque diuina machinatione, draco magnus, ut est apud S. Leonem serm. 8. de Pass. Dom. [Dum irruit, ruit; dum capit, captus est; dum persequitur mortalem, incidit in Saluatorem.] Quia ergo diuinum Verbum ad formam piscationis, cetum, & draconem siue Leviathan, à quo homines veluti pusilli pisces vorabantur absque vilo termino, obducto eica mortalitatis lux hamo, transfixit, & morte multauit; de ea primum esca, tum de hamo, linea, aliisque ad piscationem hanc necessarijs, differemus.

In piscatione per incarnationem, esca, vermis humanitatis,

Escam captandis piscibus multiplicem apponi, neminem latet; sed expeditissima & parato facilissima est, vermis. At Christi humanitatem fuisse vermem, ipsumque Christum ob humanam naturam vermem denominatū, luculenta Patrum & Scripturarum testimonia confirmant. Ad tria capita Scripturas illas & testimonia reuocat Balduinus, adductus in Allegorijs Vet. Testam. ad cap. 16. Exodi. Vel enim Christus, vermis dicitur propter veritatem humanitatis? ut cum typicè Dauid dicitur: *Tenerimus ligni vermiculus.* Et cum apud Isaiam dicitur: *Noli timere vermis Iacob.* Vel secundò vermis dicitur, propter vilitatem & abiectionem; iuxta illud Psal. 21. *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominū & abiectio plebis.* Vel denique tertio dicitur Christus vermis, ob mordacem fœneritatem. Qua etiam ex causa dicitur *timea*, ut apud Oseam: *Ego quasi timea Ephraim, & quasi putredo domus Iacob.* Sic Balduinus, cuius observatio confirmanda est, monstrando omnia quæ protulit, in Christū ratione assumptæ humanitatis cadere, & quoad eam Christū cum verme confecti viū familiari Scripturis, quæ ut notauit Greg. Naz. orat. 39. Iachanam cum magnis semper & grandibus, ceto monte, Behemoth componentes; Christum cum pusillis & minutis cœferunt, stilicidio, grano sinapis, agro, sed nominatim verme. Erit verò quod hinc suspicamus abyssum humilationis & deprecationis à Verbo susceptæ nostri causa. Quid enim est verme abiectus?

Christus homo, Vermis 1. ob originem absque seminibus.

376. Vermem ergo dici Christum quoad humanitatem assumptam, propter humanitatis veritatem, ut Balduinus affirmabat, origo vermis ostendit, quæ par omnino est origini Christi ex matre. Cum enim vulgò homines ex commixtione sexuum procreentur, vermis è contrario absque semine producit, & corporibus ex ipsiusmet corporibus innascitur. Notauit hanc Christi & vermis affinitatem Orig. hom. 1. 4. in Lucam, vbi differens de singulari modo quo Christus conceptus ac editus est, (tamen si in eo durius loquitur quod iuxta phrasim quorundam Patrum infra molliendam; Vluam Deiparæ, non ante partum, sed in solo partu reformatam affirmat.) Addit tamen optimè in rem nostram [Audeo quid loqui, quod & in eo quod scriptum est, *Spiritus Dei venit super te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, principium seminis, & cœceptus fuerit, & sine vluæ refectione nouus in vtero fœtus adoleuerit. Saluator loquitur: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Videbat in matris vtero immundiciam corporū, visceribus eius hinc inde vallatus, terrenæ fœcis patiebatur angustias: vnde & assimilatur se vermi; & dicit: *Ego sum vermis & non homo.* Ex matre quippe & femina homo nasci solet: Ego verò nō ex masculo & femina secundum ritum humanū, atque naturā, sed in exemplū vermis natus sum, cuius non est aliunde semen, sed in ipsis & ex ipsis in quibus coalescit corporibus origo est.]

Ratum

nempe genitalis putredinis, Christus à verme dissideat, tamen quoad alia quæ sola attendenda sunt, vermi recte conferunt: videlicet quoad originem non ex commixtione, præter cætera duo capita de quibus postea. Vidisti autem Patres plerique in hunc sensum accepisse illud Psal. 21. *Ego autem sum vermis & non homo*, ita ut ea verba non retulerint ad passionem, sed ad incarnationem, & veritatem humanitatis susceptæ, quod est primum caput ex Balduino propositum in quo versamur. Eodemque sensu illa Plauti verba acceperunt præter citatos, Anastas. lib. 4. Hexaem. initio, Petrus Damiani serm. 46. Euthym. in Psal. 21. & alij anteriores quos eadem ratione refellit Theodoretus ad eum locum, quod vermiculus sit vilitatis Symbolum & abiectionis, quæ iuxta Theodoretum splendat in passione, abest autem vel non nisi tenuiter micat in incarnatione. At nos, vilitatem fulgere multò illustrius in humanitatis assumptione, mox ostendemus. Adhibebat præterea in hanc rem Balduinus, ut retulimus, illud Elia: *Noli iurare vermis iacob*. Nec non illud ex 1. Reg. 23. *Tenerimus ligni vermiculus, sedens in cathedra, sapientissimus inter viros qui obliuiscuntur imperia vni*: quod spectato literæ cortice, alij congruentius ad narrationem quæ habetur 1. Paral. 11. primo ex fortibus David, Iezababam filio Hacamoni tribuunt. Balduinus tamen, (ut dixi) ad Davidem retulit, annuentibus Hieronymo in tradit. Hebr. & Petro Dam. serm. 67. qui exclamat: *Quid est quod David tam nouæ, tam manditæ præconio laudis attollitur? Quis est iste tam humilis, tamque sublimis? Quis inquam est iste David, ita debilis atque de peccatis, ut vermiculi speciem gerat? ita fortis ac validus, ut vno impetu octingentos homines interficiat? In palea nempe literæ, videtur esse ridiculum, si non in medulla spiritus lateat Sacramentum. Quis ergo vermiculus iste, nisi ille, qui per eundem David canit in Psalmo: *Ego autem sum vermis & non habeo?* Sicut enim vermis ex sola ligni maceria gignitur, ita Christum absque virili semine de solo virginali vtero genitum, fides Catholica confitetur. Eodem pulcherrime accommodat, quod sedens in cathedra, dicitur sapientissimus inter tres, nempe augustissimæ Triadis personarum secunda; cui sapientia appropriatur: & tot interfecisse impetu vno, de quo infra in tertio capite analogiæ Christi hominis cum verme. Consentit Rupertus 2. Reg. cap. 38.*

Christus, Vermis 2. ob vilitatem naturæ susceptæ.

379. Alterum caput similitudinis Christi cum verme ex Balduino prolatum, erat abiectionis & vilitatis, cuius vermis habetur aptissimum Symbolum. Eamque ob causam, plerique cum Theodoro iam adducto, ad Christum in Cruce accommodant verba illa ex Psal. 21. *Ego autem sum vermis & non homo*. Aperte sanè ed refert illum locum Tertull. 4. contra Marc. c. 21. verbis illis tam potenter quàm scabre aduersus Christum phantasticum Marcionis, prolatis. [Non poterat dixisse, qui me confusus fuerit. Noster hoc debuit pronunciasse, minoratus à Patre modico citra Angelos, vermis & non homo, ignominia hominis, & nullificamen populi, quatenus ita voluit, ut liuore eius sanaremur; ut dedecore eius, salus nostra constaret. Et metito se pro suo homine deposuit, pro imagine & similitudine sua, non aliena; ut quoniam homo non erubuerat lapidem & lignum adorans, eadem constantia non confusus de Christo, pro impudentia idololatriæ, satis Deo faceret per impudentiam fidei.] Estque extra controuersiam, fuisse in Cruce omnino ingetem Christi abiectionem; nec abs re ob illud vilitatis ostentamentum, potuisse Christum dominari in Cruce, vermem. Egregiè sane id prosequitur Autor tract. de Pass. Domini sub figura vitis apud Bernardum cap. 17. sub finem.

Quod tamen Theodoretus aiebat, & ex vulgari imaginatione multorum ratum videtur, minorem fuisse incarnationis abiectionem ac vilitatem, idè quæ non adeò appositè Christum attenta vilitate, denominari in incarnatione vermetis; sed tantum in passione; hoc verò est, quod inficior. Nam ut sapienter obseruat S. Chrysostomus orat. de S. Philogonio, multò magis videtur hic prodita abiectionis & vilitatis, quantò longius à Deo distat humanum lutum, quàm à carne mors & passio. [Quod Christus (inquit S. Chrysost.) homo factus mortuus est, quum nullum omnino peccatum perpetrasset, quid huic amplius poterat adiungi miraculo? sed mortale corpus assumpsit. Erat quidem & hoc admirandum. Cæte uero quod Deus quum esset, voluerit homo fieri, multumque sese dimittere sustinuerit, quantum ne cogitatione quidem completi queas, hoc est, omnium maximè reuerendum, stuporisque plenum. Quod quidem & Paulus admirans dicebat, *sine controuersia magnum pietatis mysterium*. Quod magnum? Deus declaratus in carne.] Annuit Eusebius 10. de demonst. c. ultimo, qui Psal. 21. idcirco factam à Christo mentis natiuitatis & conceptionis suæ censet, cum de Passione sermo esset, [quia nihilo viliorem primam corporeæ naturæ assumptionem, ortumque illum de femina, ipsa mortis calamitate esse intelligebat.] Verba sunt Eusebij. Verè ergo Christus in hoc mysterio vermis fuit, præ vilitate. Verè *approbrium hominum*, id est, Iudeorum, & *abiectionis plebis*, id est, Gentilium, ait Anastasius 5. Hexaem. initio. Exprobrauerunt enim & Iudei, & Gentiles, ac vtrorumque Germani hæretici, commutationem Christi Domini: & Filium Dei naturalem, in vermiculum videri commutatum, expostulant. Ed denique se dimisit Deus per incarnationem, ut quod nomen nemo sibi imponi sine stomacho audiat, de se ipse protulerit: *Ego sum vermis*. Refert Origenes lib. 4. contra Cællum, hunc Epicureum, cum audisset de Christianis, quod dicerent venisse Dei Filium, ut eos à peccato mundalet, & vitæ æternæ compotes faceret, exclamasse præ stomacho & ira: [Siccine vermes, aut lombrico in natali cæno contendere?] Quam abiectionem & Christiani nominis opprobrium acerbissimè ferens Origenes, negat vlli ratione prædito, quantumlibet impio, tantum opprobrium inferri debere, ut vermis audiat, cum sit rationis particeps. Hoc probrem quod Origenes in hominem quantumvis ratione abutentem, rationabilem tamen, cadere iure posse negat, Verbum Dei, nostra ex causa vilitè assumptis, nominans seipsum in humanitate assumpta vermem & non hominem.

Vermis 3. Christus ob validam tamen lentam, & tacitam arrosonem.

380. Postremum caput analogiæ vermem inter æ humanitatem Christi à Balduino propositum, ducebatur ex vermis mordacitate, & vi arrodenre, tacita licet & lenta. Varij Patres expressum hoc decus humanitatis Christi annotant, in verme hederam sine cucurbitam perdente, de quo Ionæ c. 4. Rupertus quidem ibi, & alij, quos refert nec improbat S. Hieronymus, censuerunt vermem illum esse Romanum Imperium, præparatum à Deo in ascensu diluculi, & sub ortum Legis nouæ. Quæ interpretatio non debet adeò extranea videri, cum apud Isælem quoque, quatuor imperia (heu apices & vertices terrenos!) per quatuor vermes etuicam, locustam, bruchum, rubiginem, sint designata. Receptior tamen est interpretatio aliorum, & nominatim S. Hieronymi in c. illud 4. Ionæ, iuxta quos cucurbita illa, vel hederæ flaccida, nec nisi ad inuibrandum facta, ritus Iudaicos quos futurorum umbras appellat Paulus, præsignabat. [Ionas (inquit S. Augustinus epistola 49. q. 6.) præfigurabat carnalem populum Israël. Nana

Nam hinc erat & tristitia de salute Ninivitarum, hoc est de redemptione, & liberatione gentium, vnde venit Christus vocare, non iustos, sed peccatores in penitentiam. Vmbra ergo cucurbitæ super caput eius, promissiones erant Veteris testamenti, vel ipsa iam mutatio, quibus erat vtique sicut dicit Apostolus, *umbra futuræ*, tanquam ab actu temporalium, malorum in terra promissionis defensionem præbens. Vermis autem matris quo rodente cucurbita exaruit, idem ipse Christus occidit, ex cuius ore Euangelium diffundit, cuncta illa quæ temporaliter apud Israëlitas velut vmbra culi prius significatione viguerunt, euacuata mater sunt. Et cunctus ille populus amissio Hierosolymitano regno, & Sacerdotio, & sacrificio, (quod totum vmbra erat futuræ), in captiua dispersione magno actu tribulationis adducit; sicut Ionas quod scriptum est, & solis ardore & doli grauitate, & tamen dolori eius atque vmbra quam diligebat, salus gentium penitentiumque præponitur.]

381. Possimus huc non incongruè fabulam Mahumeticam accommodare, quam his verbis describit Cantacuzenus orat. 1. in Mahumetem num. 14. [In capite Rubelæ, dicit Mahumet, vermiculum quemdam demonibus Salomonis mortem denunciavisse: cuius rei narratio talis est. Cum Salomon scipioni suo iniunctus, tanto repente dolore correptus est, vt confestim exspiraret; diuino tamen quodam miraculo non corruit. Hinc verò ministrantes demones, cum illum sic hinc cernerent, videre adhuc arbitriati sunt. Prorepse enim terra vermis, scipionem illius atrodens, quo simul corrola, Salomon concidit. Demones verò accurrentes, vt eum obissile cognouerunt, ex eo tempore cunctis suis viribus humano generi nocere cœperunt.] Analo illa scipionis Iudaici, quæ vitæ vmbra in cadavere prolapsionem intulit, commodè ad cadauer legis antiquæ (ex se namque cadauer erat vitæ pristini & exaruit), corrola per vermem è terra pura editum, vmbra ceremoniarum legalium fortitudine cui innotuerat, potest pertinere. Hoc se præstaturum prænuntiavit Christus per Oleam c. 5. verbis illis: *Ego quasi tinea Epistolam, & quasi pulvis domui Iudæ. Et vidit Epistolam languorem suum, & Iudæ vinculum suum.*

Annotat tamen S. August. q. illa 6. vt per hederam è maturo verme atrolam, Ethnicius intellegatur, cœdantibus licet (vt ait) Paganis, & vermem Christum, hancque interpretationem prophetici sacramenti, superbiore garritate decidentibus. Probat autem hanc sententiam, nonnullis verbis Esaie, quibus Christus Gentilium consumens, cum tinea exedente confertur. Eoque etiam refert vermem matutinum, de quo Psal. 21. Quod enim ibi Christus dicitur *Vermis, & non homo*, iungens cum Psalmo titulo, qui est, *pro susceptione mannae*, Christum appellat, *vermem matutinum*. Tum addit de Paganis tunc superstitibus, [ab isto verme, tanquam à tinea comeduntur, qui sub eius dente enavigant, per singulos dies, paucitate sua deficiendo minuantur.] Hic verè vermis Iacob (de quo Esaie 41.) *Plurimum quasi plastrum triturans novum, habens rostra præstantia, montes triturans & comminans, collēsque quasi puluerem ponens.* Quæ verba splendidissime continere atrolam & desolationem idololatriæ, per vermem Christianæ doctrinæ, egregie ibi monstrat S. Hieronymus; agens quidem de Apostolis, sed res multo magis pro Christo ipso valet, à quo omnis Apostolorum vis & efficacia in Ethnicorum conversionem, & erroris convulsionem manavit. Prodit sane è vermis fortitudo, cum non modò sterciditate Iudaicæ heretice, sed etiam Imperatorum robur attrinit, & gentium humanum quæ in erroribus, quæ in depravatis terrenorum afflictiobus obduratum, vertit in puluerem. [Quamvis vermis sit tener & debilis, (verba sunt Petri Damiani serm. 67.) ligni verò duritia, fortis, ac so-

Theoph. Raynaldi Christum.

lida; vermis tamen lignum vertit in cariem, & cætera nosum reddit, & canum: Ita Redemptor noster, verus vtique manu fortis atque desiderabilis, qui semetipsum exinanivit, qui non habens speciem, neque decorem, inualibus atque despectibus apparuit; humanum genus vnde ortus est, paulatim à suo rigore molliuit, magnūque sibi in electis suis habitationis spacium procuravit.]

Egregie subdit quomodo incarnatio, (quam ait esse vermis huius susceptionem per sapientissimum inter res,) sit impetus ille vnus quo occingenti (omnes inquam peccatores,) sunt interfecti gladio Spiritus Christi. [An non (inquit,) eius aduentus iure vocatur impetus? De quo Salomon ait: *Eccce iste saliens in montibus, transiens colles.* Et David: *Exultant, (inquit) vt gigas ad currendam viam.* Qui enim currit, procubatio impetum facit. Nam & Verbum Dei tanquam riuus aquarum viventium, cum impetu venit, & sicut torrens cuncta doctrinarum ardentium inquinamenta subvertit. Vnde & in Canticis Canticorum dicitur: *Fons horiorum, puteus aquarum viventium, quæ sunt impetu de Libano.* Hinc & Psalmista: *Fluminis impetus significat civitatem Dei.*] Et tamen hic riuus impetus, strepitu caruit. Absque tumultu enim, tot & tanti effectus sunt editi, consentaneè ad vermis atrolionem. Vermis quippe dicitur iuxta Cassiodorum in Psal. 21. quia vitæ eius silentiosæ. In quàm rem plura D. Greg. 5. mor. cap. 28. & lib. 11. cap. 15.

Quis in hac piscatione, hamus, quæ linea.

381. Lique de verme & esca cuius ad piscationem institutam vsus est primarius. Nam nisi esca, hamo obducatur, declinaretur piscis hamum, nec caperetur. In hamo & linea nulla est ambigendi ratio. Olympiodorus quidem in cap. 40. Iob. adductus ibi in Græca Cætena, hamum huius piscationis, ait fuisse clauos Crucis, S. Athanasius in vita S. Antonij num. 40. ait fuisse ipsam Crucem. Perspicue tamen, hamum qui & ferrens, ac fortis, & acutus ac penetrans est, Verbum Dei esse, cognoscunt Patres benè multi mox profereudi i Nominatimque Epiph. orat. de Deip. sic eam compellans. [Aue gratia plena, hami esca spiritalis. In te siquidem hamus Diuinitas.]

Perpendit hic hamus ex linea generationis descripta Matth. 1. per virgam de radice Iesse, de quo mox ex S. Gregorio. Breuiter autem idem dixit Petrus Damiani serm. 11. [Vestitus cilicio nostræ mortalitatis, visibilis humanis oculis apparuit, & de virgine virgam, de libro autem generationis lineam faciens, Diuinitatis hamum innexuit, quem carne operuit virginali, vt draco magnus illectus ad carnem, ferrum diuini nominis subfentiret.] Et pulchre serm. 46. [Persona Redemptoris nostri, sic in fine huius propaginis ponitur, ac si hamus in extremitate lineæ subnectatur: sic ordinatè additur genealogiæ, sicut hamus productæ inseritur lineæ. Cum enim dicitur: *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, & ceteri genitores bis numerantur, quasi licium licio inseritur, vt vna ex pluribus in longum linea producat. Cum verò subiungitur: Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesu qui vocatur Christus: Non in directum, sed quasi ex obliquo hamus apponitur, qui antiqui illius Leviathan faucibus infigitur.]*

Plenè & optimè hæc de hamo, linea, & virga huius piscationis ad diabolum capiendum, profectus est Innoc. III. serm. vnico de nativ. Deip. sed quod totus sermo in id impendatur micro aliquid exscribere.

383. Non possum autem dimittere Rupertum, qui lib. 1. in Matth. egregie in hanc rem philosophatur: & præter hanc, lineam, & virgam, circulum quoque ad eundem vsu capturæ draconis & ceti qui in mari

esca carnis simul atraheretur hamus Diuinitatis: & sic vita ad mortem introducta, & luce apparente in tenebris, luce & vita deleteretur id, quod eis contrarium in-
telligitur. Neque enim ea est natura tenebrarum, vt luce presente permaneant: neque mortis, vt sit, vita operante.]

Expresse Nyssenus Damascenus 3. de fide c. 27. ini-
tiis. At enim de morte id est fatana, prout sarpē in tene-
bris appellatur. Intercessit igitur mors, mortem fa-
toris nostrae capla suscipiens, ac se ipsum Patri pro no-
bis hostiam offerens. In eum enim deliqueramus: ac
proinde ei redemptionis nostrae pretium pendendum
erat, vt sic a condemnatione liberemur. Absit enim
vt Domini sanguis tyranno oblatus sit. Accedit itaque
mors, corporisque illecebram deglutiens, Diuinitatis
hamo transigitur: atque in fonte ac viuifico corpore
deglutito, interit ipsa, omnisque quos olim absorpse-
rat, exornat. Quemadmodum enim tenebrae induc-
tae de medio submouentur, ita etiam corruptio vitae
appellu depellitur, sitque omnibus vita, corruptori au-
tem interitus.]

386. Petrus Damiani serm. 46. [Ad beatum Iob Do-
minus loquitur, dicens: *Nūquid capies Leuiathan hamo?*
Per *Leuiathan* quippe, qui *aditamentum eorum* dicitur,
carnis ille deuorator humani generis designatur, qui
dum se Diuinitatem homini addere spondit, im-
mortalitatem sustulit, qui praecurcationis quoque
culpam, quam primo homini propinquit, dum se se-
quentibus pessima peruersione multiplicat, penas eis
sine cessatione coaceruat. In hamo autem esca offen-
ditur, aculeus occultatur. Hunc ergo Pater omnipotens
hamo cepit, quia ad mortem eius, vnigenitum
Filium lacinatum misit, in quo & caro passibilis vi-
deri posset, & Diuinitas impassibilis videri non posset.
Cumque in eo serpens iste, per manus persequendum,
etiam corporis momordit, Diuinitatis illum aculeus
perforauit. Prius verò eum in miraculis Deum cognou-
erat, sed de cognitione ad dubitationem cecidit,
quando hunc passibilem vidit. Quasi hamus ergo fau-
ces deglutiens tenuit, dum in illo esca carnis appa-
ret, quam deuorator appeteret; & Diuinitas passionis
tempore lamit, quae necaret. In hamo eius Incarnatio-
nis capus est, quia dum in illo appetij escam corpo-
ris, transfixus est aculeo Diuinitatis. Ibi quippe inerat
humanitas, quae ad se deuoratore mduceret: ibi Diui-
nitas quae perforaret; ibi aperta infirmitas, quae pro-
uocaret: ibi occulta virtus, quae raptoris fauces trans-
figeret. In hamo igitur captus est, quia inde interijt,
vnde momordit: & quos iure tenebat mortales, per-
didit, quia eum, in quo ins non habuit mortis, appe-
tente in morte praesumpsit.] Profecit Petrus Damiani ex
S. Gregorio hom. 25. in Euangelia.

387. Idem S. Greg. 33. mor. cap. 10. tractans illud, *In
manu eius quasi homo capiet eum*, cum praemisisset his
praenunciari aduentum Christi, & Incarnationis my-
sterij, subdit. [Quis nesciat quod in hamo esca offen-
ditur, aculeus occultatur? Esca enim prouocat, vt aculeus
pingat. Dominus itaque noster ad humani generis
redemptionem veniens, velut quandam de se in
necem diaboli hamum fecit. Assumpsit enim corpus,
vt in eo Behemoth iste quasi escam, suam mortem car-
nis appeteret. Quam mortem dum in illo iniuste ap-
petit, nos quos quasi iuste tenebat, amisit. In hamo
ergo eius Incarnationis capus est: quia dum in illo
appetit escam corporis, transfixus est aculeo Diuinita-
tis. Ibi quippe inerat humanitas quae ad se deuorato-
rem doceret, ibi Diuinitas quae perforaret, ibi aperta
infirmitas quae prouocaret, ibi occulta virtus, quae ra-
ptoris fauces transfigeret. In hamo igitur captus est:
quia inde interijt, vnde deuorauit.] Et cap. 12. [In hac
aquarum abyssu, id est, in hac immensitate generis hu-
mani, ad omnium mortem inhians, vitam penè om-
nem interijt.]

Theoph. Raynaud. Christum.

nium vorans, huc illucque aperto ore cetus iste fere-
batur, sed ad mortem ceti istius, hamus in hac aqua-
rum profunditate caliginosa, mira est dispositione
suspensus. Huius hami linea, illa est per Euangelium
antiquorum Patrum propago memorata. Nam cum
dicitur: *Abraham genuit Isaac: Isaac genuit Iacob*: Cum-
que ceteri successores interposito Ioseph nomine vs-
que ad Mariam Virginem desponsatam describuntur,
quasi quadam linea torquetur, in cuius extremo In-
carnatus Dominus, id est, hamus iste ligaretur: quem
in his aquis humani generis dependentem, aperto ore
iste cetus expeteret; sed eo per satellitum suorum sa-
uitiam morio, mordendi vires ulterius non haberet.
Ne ergo iste humanis mortibus cetus insidians, quos
vellet vitra deuoraret: hamus hic raptoris fauces te-
nuit, & sese mordentem momordit. Incarnationem
igitur vnigeniti Filij, fideli famulo indicans Deus, ait:
An extrahere poteris Leuiathan hamo? Subaudi vt ego;
qui ad raptoris mortem Incarnatum vnigenitum Fil-
ium mitto, in quo dum mortalis caro conspicitur, &
immortalitatis potentia non videtur, quasi hamus qui-
dam inde deuorantem perimit, vnde acumen potentiae
quo transfigat, occultat.]

388. Concinnissime Athanasius, aut (quisquis tan-
dem est,) Autor qq. ad Antiochum q. 20. & vltima ex
nuper additis, vestigans causam cur Verbum ad homi-
nem saluandum non se applicerit nudum, sed carne
circumamictum: [Cum praenotet (inquit) sapiens
Deus, quod non posset sola humana natura vincere
sine Deitate, abscondita est in ipsa carne Deitas, vt
diabolus videns carnem, & non cognoscens Deitatem
in eadem carne absconditam, accederet, & cum Chri-
sto congresseretur, atque ita vinceretur ab abscondita
Deitate. Quod & factum est. Quemadmodum enim
piscator volens capere pisces, non nudum hamum ia-
cit in mare, sed affigit extrinsecus vermem per dolum,
& sic projicit hamum in mare, indutum verme: pisces
autem videns vermem solum, & non cognoscens ver-
mis in ventre latere hamum, sed existimans sine hamo
vermem esse solum, deceptus capit ab hamo; ita
etiam Christus fecit. Cum vellet enim venenatum pis-
cem in aquis infinitis abyssi latentem capere, seu ma-
gnum illum draconem diabolum, non sola Deitate
cum diabolo congressus est, sed dolo vermem, sanctis-
simam suam carnem, quam ex semper Virgine Maria
sanctissima terra sine pollutione induit, quemadmo-
dum inquit diuus David, *ego sum vermis & non homo*,
textit sacerrimum hamum mundo saluatorem Crucem
suam, illi affixus, & in illa latere voluit Deitatem suam,
à qua deceptus est, & captus, venenatus ille, & serpen-
tinis moribus infestus piscis, magnus draco diabolus,
qui Paradiso expulerat, & occiderat hominem, & vi-
ctus periit. Ita quidem, Deitatis typus est hamus: hu-
manitatis verò typus est, vermis. Videns igitur extrin-
secus hominem, & non animaduertens intrinsecus ab-
sconditam Deitatem, deceptus est, & accedens ad hu-
manitatem, captus est ab hamo Deitatis nullam com-
parationem aut communicationem admittentis. Et sic
victus est magnus draco, diabolus. Quapropter non
venit Filius & Verbum Dei, vt nuda Deitate caperet
diabolum, sed induit carnem, & sic ingressus est. Et
haec est causa, quod Incarnatus sit.]

vsus doctrinae.

Vniuersa haec piscatio, & draconis magni captura,
eò denique pertinet, vt nos pisciculi (nam & in aqua
gignimur, vt est apud Tertullianum lib. de Baptismo. 1.)
salubriter à Verbo hamato inuincemur. Docuit hoc
pius Poëta apud Richardum à S. Laurentio lib. 12. de
Deip. cum de virga tria portante (1038.) [Christus ha-
mus (inquit Richardus) de quo Iobi 40. *In oculis tuis*
quasi

quasi hamo capiet eum. Huius hami ferrum, virtus Diuinitatis; Vermis, fragilitas carnis, ferrum latens in verme, Diuinitas latens in humanitate; Hamus in mare proiectus, Christus in mundum missus. Satanas qui in mari mundi per idololatriam dominabatur, qui supra appellatus est Leviathan, hunc vermen morfu appetiit, sed virtus Diuinitatis eum aduincit. Vnde quidam,

Piscator Pater est, mare mundus, Filius hamus,

Esca caro, Deitas linea, piscis homo.

En piscis homo. Ipse est igitur ad cuius capturam, vniuersa hac piscatio dirigitur. Induamus nos si sapiamus, in hunc hamum, vt vitaliter inuincemur.

CAPUT XII.

Verbum Fermentans.

389. **R**egnum celorum specie fermenti expressum, Matth. 13. legimus. Pro varia enim regni celorum notione qua nunc Christum Dominum, nunc Ecclesiam in Scripturis representat, duplicem quoque fermenti illius sensum licet colligere; alterum huc directè pertinentem; alterum quo signatur aliquid per modum effectus à priore derivatum: vtrumque attingamus.

Verbum, humanitatis Fermentum.

Fermentationem priorem qua Verbum diuinum massæ nostræ adiunctum eam sanctificauit, agnouit Naz. orat. 51. sic disputans contra Apollinaristas, aientes sanctam Christi carnem Verbo Dei fuisse unitam, non ite animam. [Si quod deterius est, assumptum est, vt per incarnationem sanctificetur, an non quod præstantius est, assumetur, vt per humanitatis susceptionem, sanctitate afficiatur? Si lutum fermentatum est, (ò sapientes viri,) ac noua conspersio extitit, imago ipsa non fermentabitur, & cum Deo temperabitur, per Diuinitatem desiccata?] Non dissimiliter Isido. Pelui. lib. 1. epist. 101.

Difficultas ex malis Fermenti significationibus.

390. Verum in ipso huius Allegoriæ aditu, vereor ne minus reuerenter de Verbo Dei philosophari videar, si illud cum fermento humanitatis Christi componam. Certum quippe est & vulgatissimum, in Scripturis fermentum male sonare. [Quid est enim aliud nisi corruptio naturæ fermentum, quod & ipsum prius à naturali dulcedine recedens, adulterino acre corruptum est?] Verba sunt Pelagij 1. Cor. 5. Et annuit Gilbertus c. 9. altercat. Synag. & Eccles. qui propterea ait toto septiduo veritum fermentum, quia tota vita præfens, fermento peccati, in primo homine corrupta est. [In fermento (ait Chrysologus ferm. 172.) non est moles magnitudinis, sed tumoris; & conspersio tali specie, inflata est non ditata. Quantum enim effervuerit fermentum, tantum fortius massa turgescit, & totam formam leuitatis implet & tumoris. Hac ex causa Iudæi, per facerimos dies, hoc est Paschali tempore, Exodi 7. verabantur interposita mortis intentione, panem fermentatum comedere; vel ad amouendos peccati illices ex præsentia, fermentum apud se habere, aut præterquam ad usum sacrificij in gratiarum actionem, Altaribus illud admonere. Vnde Deus ipse Amos 4. horrenda supplicia comminatur præter cetera, eam nominatim ob causam, quod sacrificantes de fermento laudem, essent tamen vacæ pingues, & pessimè agerent. Cur autem in eo sacrificio fas esset adhibere fermentum, causa esse potuit, quia etiam de ereptione à malis agendæ sunt gratia. Quod videtur renouari Petrus Cellensis lib. de panibus c. 3. in fine. Super fermento quoque, vt dissert Orig. hom. 5. in Leuit.

præceptum erat offerre, quamuis non fermentum: quia super dona naturalia, vel etiam defectus nostros, Dei laudatio est edificanda; Philo lib. de Sacrificio Abelis & Caini, eò renouari videtur, cum ait. [A fermento nostro præceptum est particulam desumere. Et erit quando comedetis de fructibus terræ, auferetis particulam separatam Domino. De primitiis fermenti panum vestrorum particulam auferetis ei, si cuius partem de area sic separatam id. Fermentum istud proprie, si verum fatendum est, nos ipsi sumus, congestis & commixtis plurimis essentis, vt ex his absolueremur: frigidum enim cum calido, & aridum cum humido, potestates contrarias commixtas, & contemperatas, animalium opifex in vnum redigens, vnumquemque nostrum fecit ex ea congerie, quæ intelligitur fermenti nomine: cuius primariæ duæ partes anima & corpus, primitiæ Deo sunt consecrandæ. Sunt autem primitiæ, sancti & ad virtutem pertinentes motus partis cuiusque, idè conferuntur cum area. Ergo sicut in area, triticum, hordeumque, & id genus alia seorsum separantur; aristæ verò & paleæ, & huiusmodi quisquiliæ dissipantur aliò: ita etiam apud nos, alia sunt optima, vtilia, veros cibos præbentia, per quæ recta vita perficitur, quæ quidem offerenda Deo sunt: alia verò parum diuina, relinquenda, velut reiectamenta mortali generi; ab his autem auferendæ particulæ.]

391. Ratum ergo est, azima esse familiariora creatori, vt dicitur apud Tertullianum lib. 4. in Marcion. c. 30. fermentum autem Symbolum esse malitiæ & nequitie, vt loquitur Apostolus 1. Cor. 5. mandans expurgari, *vetus fermentum*, id est, incesto sordentem hominem, vt ceteri essent nona conspersio, sicut per Christi gratiam erant azymi. Quamquam Richardus Victorinus, tract. de dubijs à S. Bernardo propositis dub. 2. illos ipsos qui azymi erant quoad fidem, censet illos expurgare vetus fermentum quoad opera, quod ad rem presentem perinde est. Semper enim habemus, fermentum esse Symbolum malitiæ. Veram peccati originis imaginem esse fermentum, pronunciat Rupertus l. 2. in Exod. c. 15. qui etiam pro peruersa fermenti notione latè dissert l. 1. de offic. c. 12. esse typum hypocrisis, docemur ex illis Christi verbis: *Attendite à fermento Phariseorum quod est hypocrisis*. Apud Oseam c. 7. proponitur vt Symbolum idololatriæ. Sic enim accipit S. Hieronymus verba illa: *Qui erant paululum ciuitas à commissione fermenti, donec fermentaretur totum*. Climacus lib. ad Pastorem c. 14. in fine, fermentum tumoris & inflationis; notam atque adeo superbæ symbolum esse docet; azymum verò humilitatis, eò quod non turgescat, sed sessile sit, semperque sublidat, idque esse ceter, quod in Paschate azymis vescendum, mandabatur. Similiter S. August. 3. contra Parmen. c. 2. ad corruptionem superbæ refert, quia inflat, [et velut ex vetustate primi hominis qui superbia lapsus est, quasi fermentata & corrupta mente, facit elatos in vnam consensionem, qui subimet in eam simili iactantia unitate consentiunt.] Plenè verò de fermenti probis, & peruersa in Scripturis significatione, dissert Humbertus Episcopus syluæ candidæ l. contra Michaëlis Constantinopolitani & Græcorum calumnias, initio ducto à fermenti viciata origine. [Fermenti (inquit,) origo fit cum aut spuma musti, seu fex cuiusdam rusticæ potionis, quæ apud Gallos *cereuisia* dicitur, vel certe ins elixati hordei, aut ciceris, siue lac ficulneæ, vel pecorum, corruptum, inijcitur conspersæ farinæ. Cum ergo spuma, fex, elixatum leguminum, & lac fice vel pecorum corruptum, apud homines compurentur inter sordida; constat fermentum sordibus non carere per omnia. Massa autem cuiusque fermentum inijcitur, necesse est corrumpatur, sicut ait sapientissimus Paulus: *Molitur fermentum, totam massam corrumpit*. Vbiunque autem corruptio tam in diuinis, quam in humanis literis